

JOACHIMI FELLERI,
*SS. Theol. Lic. inque Elect. Universitate
 Lipsiensi PP. Ejusdemque Bibliothecarii, ac Collegii
 Majoris Principum Collegiati, &c.*

DISSERTATIO SOLENNIS

De
 FRATRIBUS
 KALENDARIIIS,

(Cui Historia ortus & progressus Collegii
 Historici Imperialis succinctè præmissa &
 innexa est,)

in Illustri Eruditorum consessu,

d. xxix. Januar. AC. M. DC. XCI.

publicè recitata,

Notis verò illustrata & edita

à

CHRISTIANO FRANCISCO
 PAULLINI.



FRANCOFURTI ad MOENUM,

Sumptibus FRIDERICI KNOCHII,

Typis JOH. PHILIPPI ANDREÆ.

Anno M DC XCII.

DN. JOH. à LENT,
SS. Theol. D. inque Illustri Herbournensi
PP. 12. Jul. 1691. ad me.

Utinam verò Collegii nostri leges, cum aliquali instituti historia, de novo imprimerentur! Nec ingratum quoque plurimis esset, si Sociorum adderentur nomina. Non facile credis, quàm avidè illud desiderent Eruditi. Rescripsi multis, qui illud vehementer efflagitabant, Te totum in eo esse. Quare ut fidem meam liberes, enixè contendo. Facies rem & Tibi, & mihi, omnibusque illis gratissimam &c.

¶ (3) ¶



CELEBERRIMIS VIRIS
ACTORUM
ERUDITORUM
COLLECTORIBUS

Lipsiæ,

Dominis & Fautoribus meis

pl. Venerandis,

Salutem & Observantiam!

Scripsisset utiq; B. Fellerus,
Socius olim Vester dilectissi-
mus, meique amantissimus, in-
tegrum tractatum suum de
Fratribus Kalendariis VOBIS, VIRI
ERUDITISSIMI, si diutius mortales inter
ambulasset, vel ideò, quòd & Vos Ka-
lendarii sitis. Singulis quippe *Kalendis*



aureola Eruditorum acta publici juris
 facitis. Ego igitur, post fata Venerandi
 Amici, vice Ejus functurus, prodromum
 operis, solenni oratione delineatum, VOBIS
 offero, quam ut benignè suscipiatis, nec sup-
 plico, nec dubito, de dexteritate & humani-
 tate vestra certus. Placuit Optimo VIRO
 Collegium, quod *Cordati & Eruditi* moli-
 ti sunt, Historicum, ut etiam in Augusto
 Academiae Vestrae confesso, publicè & splen-
 didè de Eodem disseruerit, quod grati præ-
 dicabunt singuli. Quamprimùm ergo à Fi-
 lio Ejus Joachimo Friderico, Politif-
 simo Juvene, schedas obtinui, notis illu-
 stratas intelligentibus exhibui. Qui plausum
 dedere, autoresque erant, ut typis exscriptæ
 publicè venirent. Accipite igitur, VIRI
Χαριέτατοι mihi que, si merear, favete! *Ferra-*
ria Thuringorum, An. 1691. ipso *Modesti* die.

V.

Omni fide & obsequiò devin-
 tissimus

F. Paullini.





JESU FORTUNANTE!

RECTOR ACADEMIÆ

Magnifice, Comites S.R.I. Illustrissimi, Pro-

ceres Academici, quotquot adestis, Honoratissimi;

Tuq; circumfusa Nobilissima Studiosorum corona, in decus,

incrementum & solatium Ecclesiæ ac Reip.

nara!



Uæ hæctenus in Germania no-

stra, quod nec vulgus eruditorum igno-

rat, Societates literariæ floruerunt, quæ

vel cuncta Italicarum urbium nobilio-

rum erudita Collegia, quæ *Academia*

communiter vocantur, fulgore suo, vel-

ut duo luminaria magna, prægravare possunt. Altera

Fructiferorum, altera *Curiosorum Naturæ* Societas meruit

appellari. Et prior quidem, quæ *Fructifera* audit, & *Pal-*

ma etiam nomine insignitur, (a) non aliò fine fuit insti-

tuta, quàm ut linguæ *Teutonice* nostræ suum asserere-

tur decus, palamq; universo Orbi literario ostende-

retur, eam verborum copiâ, dictionis nitore & elegan-

tiâ, sententiarum ac proverbiorum pondere, cultissimis

Europæ linguis non *palmam* tantùm facere dubiam, sed

præripere etiam non difficulter posse. Annus institutæ ejus ori-

hujuscæ 80.

A 3

(a) Der fruchtbringende Palm-Orden.

Dux illu-
stres in
Germania
Societa-
tes,

Fructife-
ra,



huiusce Societatis fuit septimus ac decimus (b) seculi jam ad finem decurrentis. Ex quo tempore dici non potest, in quantum succreeverit *Fructiferorum* numerus, quàm item multum & fructuum & gloriæ per Celsissima capita, ac membra Illustrissima doctissimaque, tam ex scriptis Germanicis eleganter & copiosè confectis, quàm ex libris peregrini idiomaticis in vernaculam nostram versis, in *Teutonicam linguam* nostram redundârit. Ipsi certè Principes primi ordinis Germanici præsidium *Collegii Fructiferi* suscipere honori duxerunt sibi, tres in primis æternâ memoriâ dignissimi, **LUDOVICUS** & primus Præses, Anhaltinus, (c) **WILHELMUS**, Dux Saxoniae Ernestino-Wimariensis, (d) & **AUGUSTUS**, Dux Saxoniae (e) ex linea Albertina, idemque ultimus Archiepisco-

(b) Dies XXIV. Augusti.

(c) Primum consilium fundandæ hujus Societatis dederat, in Augusto Principum Nobiliumque consessu, Vinariæ, in antiqua arce *Hornstein* / nunc à Restauratore suo *Wilhelmsburg* dicta, *Casp. à Teutleben*, Eques Thuringus, Aulæ Saxo-Vinariensis Supremus Magister, Vir Doctissimus, multisque peregrinationibus clarus, qui etiam primum in Ordine locum meruit. Electus itaque à *Joh. Ernesto* juniore, *Fridericico & Wilhelmo*, Ducibus Saxon. *Joh. Casimiro* Anhaltino, *Diaterico à Werthern*, Chiliarcha, *Fridericico à Kospoth*, Camera Vinariensis Consiliario, *Christophoro à Krosigk*, & laudatissimo *Casparò*, qui *Teut-oniæ vitam* splendoremque dedit, nec non aliis tunc præsentibus, primus Carpophorum Præses *Ludovicus*, Princeps Anhaltinus, dictusque est *der Nebrende* / quo de omninò legendâ erit D. D. *Casp. Sagittarii*, Historici Saxonici Ducalis & Prof. Jenens. celeberrimi, *Hist. Anhaltin. cap. 42.* Obiit autem Inclutissimus Princeps senio confectus sub finem anni 1650.

(d) electus annò 1651. dictus *der Schmachhoffre* / obiit annò 1662. 17. Maji.

(e) electus annò 1667. *der Wohlgerathene*. Qui & ignobile nomen meum catalogo Illustriss. Collegii clementissimè jussit inscribi an. 1672. 22. Jan. Post *Augusti* hujus excessum *Palma* nostra cheu! marcuit!

Episcopatus Magdeburgici (in secularem quippe post
 fata Ejus Principatum transmutati) Administrator. Nec
 Nobiles tantum ferè octingenti, cum flore eruditæ gen- Splendor
 tiss adscribi huic ordini se fecerunt, sed & Celsissimæ ^{ejus,}
 Profapiæ dignitatisque Proceres, *Barones* nempè qua-
 draginta quinque, sexaginta *Comites*, novemdecim *Prin-*
cipes, octo *Pfaltzgravii*, decem *Landgravii*, quatuor *Mar-*
chiones, novem & quadraginta *Duces*, tres *Electores*; &
 quod summum huic Societati dectis supperaddit, *Rex*
 unus. (f) Testes hujus rei locupletissimi, sunt insignes
 Trium-Viri HARSDÖRFERUS, HILLIUS & NEU-
 MARCKIUS, (g) qui ejusdem Societatis, cujus & mem-
 bra fuère, non initia tantum atque instituta, sed & suc-
 cessum, leges, cognomina, sententias, picturas & scrip-
 ta fusiùs explicârunt. Utinam huic Ordini verè *Frukti-*
fero de novo ex Principum Germanicorum Ordine pro-
 spectum esset capite! Nam post obitum Reverendis-
 simi ac Serenissimi, jam Beatissimi AUGUSTI, qui
 in Salanis salinis sedem fixerat, ne nunc quidem, quod
 nos sciamus, alius *Ordinis Fruktiiferi* Præses ac Modera-
 tor ex eruditis Germaniæ Principibus fuit constitutus,
 quali tamen Capite, ne Societas per tot annos floren-
 tissima, Gloriosissima, itemque utilissima deflorescere
 sensim cogatur, vel maximè foret opus. Sed id curæ Il-
 lustrissimis Ejusdem Clarissimisque membris relictum
 nunc volumus. Alteram Societatem, quæ *Curiosorum* ^{Societas}
Natura dicitur, quod attinet, debet illa tam ortum, quàm ^{Curiosor.}
 accrementum nostræ Germaniæ, nec alium habet sco- ^{Naturæ,}
 pum,

(f) *Karolus Gustavus*, Rex Sveciæ.

(g) Vide hujus *neusprossenden teutschen Palm-Baum*/sumtibus Hof-
 mannianis & typis Schmidianis, edit. Vinar. 1668.

pum, quàm ut abstrusa Naturæ hæctenus minis eruta
eruat, & Orbi literario in scriptis publicis, velut in men-
sa Solis, exponat, demonstretque, eam non scientiæ
tantùm rerum naturalium augendæ, sed & conservandæ
vindicandæque à morbis valetudinis humanæ gratiâ,
fuisse institutam. Princeps hujus Autor ac Præses fuit

Autor ejus
& primus
Præses,

D. JOHANNES LAURENTIUS BAU-
SCHIUS, (b) Reip. patriæ Suinfurtensis Physicus, qui
& **JASONIS** nomine in *Societate* ista *Curiosa* primùm

Secundus,

inclaruit. Secundus **D. JOH. MICH. FEHRIUS,**
Kittingâ Francus, (i) Archiater & ipse Svinfurtinus; &
tertius, qui apud Noricos aurâ æthereâ adhuc vescitur,

Tertius,

D. JOH. GEORG. VOLCKAMERUS, (k)
Senior hodie totius Societatis *Curiosorum Naturæ* oppi-
dò quam Venerabilis. Propitia etiam *Saluberrima* huic
Societati astra affulsère, & primùm quidem, qui *Phos-*
phorus Solem antecedens videri potest, Princeps Celsis-

Protektor
Ejus,

simus **RAYMUNDUS DE MONTE CU-**
COLI, (l) Sacræ Cæs. Majest. Archi-Marschallus, &
Supremus Campi Ductor, Heros Arte non minùs mul-
tjugâ, quàm Marte Excellentissimus, & post obitum
Ejus

(b) Anno 1652. Vide Decur. I. Ephemerid. Nat. Curios. ann. II. ubi in li-
mine habebis succinctam historiam ortûs & progressûs hujus Aca-
demie.

(i) Successit annò 1666. dictus *Argonauta*.

(k) Successit annò 1668. dictus *Helianthus* I. Sub hoc inclytum Colle-
gium verticem extulit, ut etiam, à nomine LEOPOLDI, jubente Eo,
Leopoldinum nominetur.

(l) Qui primus Acad. Nat. Curios. Protektor factus annò 1667. & post
Eum Eminentiss. ac Celsiss. DN. ANSELMUS FRANCISCUS, S. Sedis
Moguntinæ Archi-Episcopus & Princeps Elector.

Ejus SOL ipse Imperii Romano-Germanici coruscantissimus, LEOPOLDUS inquam, Augustissimus atque Inviictissimus, protectionem Societatis hujusdem suscepit Ipse, idque honoris præterea ac decoris ei quàm clementissimè dedit, ut *Præsides* ejus ac *Directores* S.R.I. & Splendor. Nobiles, Medici Cæsarei, & Comites Palatini essent, haberenturque & nunc & post deinceps, non sine prærogativis aliis atque immunitatibus. (m) Quantum lucis hæc *Societas Curiosa* in Regno Naturæ recondito accenderit, quantumque emolumentum humano generi attulerit, sat abunde loquuntur tot Volumina, à tempore institutæ Societatis, non sine admiratione totius Orbis literarii, edita, loquenturque ulterius, cum non decreseat, sed crescat indies tam intrà quàm extrà Germaniam Curiosorum Naturæ numerus. Sed præter duas jam laudatas Germaniæ Societates, *Fructiferam* tertia German. Societas, nempe & *Curiosam*, tertia quædam alia (ut trinum aliquod perfectum compleretur,) necessaria mirum quantum videbatur, quæ posthabitis nempe, vel sepositis aliquantisper, exoticarum gentium antiquitatibus, in Germanicis eruderandis occuparetur unicè, & quicquid de illis in Bibliothecarum celebriorum codicibus MStis reperiretur fortè, luci publicæ exponeret. Extant antiquitates *Josephi* Judaicæ, antiquitates Romanæ *Fulvii* & *Rosini*, à Demstro auctæ, antiquitates Græcæ *Pfeiferi*, Variaè variorum antiquitates, Theologi hodie Regiomontani, extant antiquitates Gallo-Belgicæ *Petri Dinai*, Frisicæ *Suffridi Petri*, Veronenses *Onuphrii Panvini*, antiquitates *Joh. Viterbiensis*

B &

(m) Vide historicam continuationem Acad. hujus *Leopoldina* Ephem. Curios. Dec II. ann. VII. à DD. *Schröckio* præmissam, qui rem tibi dabit integram.

& *Matthæi Hosti*, aliorumque plurium ut taceamus. Has aliasque cum legere atque excutere consueverint Germani, Lyncesque adeo fuerint in legendis illis, talpæ tamen fuerunt domi, certè torpentes admodum ac somnolenti in antiquitatibus patriæ suæ, quam Germaniam sunt nacti, investigandis. De nova itaque, eaque tertia, Societate consultari superioribus annis coeptum est, quæ, ob unicum res prisca Germaniæ excolendi studium, *Collegium Imperiale Historicum* appellata est. Autor atque inventor primus hujus instituti est **CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI**, Medicus ac Historicus, & Curiosus Naturæ Celeberrimus, isque hodie patriæ suæ, quæ *Isenacum* est, Physicus ordinarius. (n) Hic enim cum *Societatis* id genus,

Colleg.
Imperiale
Histor.
Ejus Au-
tor,

(n) Vide sis *Monatliche Unterredungen*/Lipsiæ quæ primum prodire sum-
tibus Gleditschianis anno 1689. & quidem Mens. Maj. p. 533. seqq. ubi
sufius, quæ desiderantur, dixi. Cumque Cl. Dialogorum Autor,
eum Winckelmanno, & aliis, crederet, Illustriss. DN. JOH. CHRI-
STIAN. L. B. à BOYNEBURG, Isenacensem, Equitem Auratum, Emi-
nentiss. Elect. Mogunt. Consiliar. Secretiorem, & Summum Aulae Ma-
reschallum &c. Virum insigniter doctum & curiosum, idem jam an-
tea agitasse opus, brevissime tunc respondi. Nactus postea à laudato
Winckelmanno, JC. & Historico, Fautore meo singulari, ipsas *Boyne-
burgii* literas Eidem inscriptas, alium finem & cuncta diversa depræn-
di. Cumque epistola, paucis fortè visa, multum præclare moneat,
integram hinc subtexo:

V. CL. Cum nihil sit jucundius commercio epistolico, tum verò illud
maximè afficit & pascit animum, quod eruditionis sale conditum est.
Sunt, qui per literas familiariter invicem nugantur: sunt, qui eas
novellis, nescio quibus à mendaci fama sparsis, replent: at homi-
nem frugi, quique solidiorem cibum quærit, satiare talia non pos-
sunt. Nam & Novellistarum fructus, quem inde percipiunt, non nisi
hebdomadarius est, aut ad summum mensuarius. Hòc tempore elapsò,
perit gratia novitatis, &, ut sic dicam, primitatis, quæ solâ novellæ
com-

genus, *Historia Germanica* necessitatem juxtim atque utilitatem, *Viris Illustrissimis* atque *Doctissimis*, per literas ultrò citroque missas, nihil cunctatus, nec sumtibus parcens, exposuisset, non plurimos tantùm illorum in sententiam pertraxit suam, sed iisdem etiam, numerum Collegarum selectiorum ut auctum irent, persuasit, jamque non leges tantùm *Collegii Imperialis* sunt conditæ,

B 2

quas

commendantur. At in re literaria diuturnior usus fructusque est, quemque tempus non ita terat. Quanquam enim novitas desit, utilitas tamen progressu temporis etiam augetur, factâ paulatim rerum similium concinnâ accumulatione. Liber novus insignis, detecti antè incogniti Naturæ sinus, potentia humanarum virium recentibus inventis aucta, obscuritates antiquitatis discussæ, historia ineditis antea monumentis locupletata, Virorum insignium vitæ, mortes, gesta, monumenta, non tunc tantùm delectant, aut profunt, cum primùm audiuntur, sed & in omnem vitam vim suam extendunt. Ego certè, ut de me fatear, nunquam mihi videor majore ac liquidiore voluptate perfundi, quàm cum Amici epistolas de suis, de familiarium, vicinorum, amicorum doctis conatibus, effectis, judiciis, deque omni rei literariæ comperto sibi novissimo statu lego: cum Virorum eruditorum nomina successusque, cum Academiarum, Senatum, Aularum, potissima ornamenta, cum annales, catalogos laborum, lectionumque, cum disquisitiones publicè defensas selectiores, cum ortas fortè inter Varios eruditos lites, (quæ utrinque intendere omnes nervos, omnem studiorum apparatus excutere cogunt,) earumque causas, cum vicinæ cujusque eruditæ nomenclaturam, cum de libris editis sententias, spes de edendis multa que alia, ad nostri temporis statum literarium pertinentia, disco. Nec abnuo, hæc mihi jucunditate sæpè jam à multo tempore negotiorum molestiam levatam atque interstinctam esse. Te autem, Vir Præclare, & scio posse, & confido velle præ multis restinguere sitim meam, juvare desiderium, continuatoque nonnunquam responso cupiditatem satiare. Scio, nec copiam rerum Tibi, nec affectum erga me deesse. Neque verò hæc gravata, atque, ut sic dicam, unilatera esse volo. Sat scio, reciproca hæc officia esse debere, nec duratura, nisi mutua. Nec spero, materiâ prorsus carebo, quâ desiderio respondeam, liberalitatemque tuam justò pretiò, eodemque monetæ genere, si possim, pensam. Sed laboriosa res erit, inquires? arripe, quid in mentem venerit,

quas in Dialogis mensuris Majalibus superioris anni (o)
legere est, sed & Præses hujusdem, Collegarum omnium
consensu, Vir stupendæ eruditionis atque auctoritatis,
& Præses, isque & Incomparabilis Polyglottus, **HIOBUS LU-**
DOLFUS, JC. Sacræ Cæs. Majest. nec non Poten-

tissimi

nerit, laborem omnem à dulci hoc commercio, si non omninò sublaturum, certè non mediocriter levaturum esse credes. Ecce enim, cum Tu, cum Amici Tui, Doctissimi Viri, commercium passim literarium colant, cum maturè, cum ubertim selecta, & nova plurima accipiant, quantuli negotii erit per amanuensem excerpta tantum hujusmodi literarum tecum communicare, adjecto. cum opus est, qui scribat, & cui scribatur etiam, si videtur, nomine ipsisque verbis scribentis, ne quò labore opus sit, servatis. Nullâ arte, nullâ digestionem, nullâ connexionem opus: sed confusè descripta, operculò tantum inclusa, mittantur. Satis erit rem tenere. Et licet ne verbum de tuo adjicias, nihil solennis pompæ, nihil prologi, ne salutationem quidem usitatam; breviter: nihil in universum præmittas; ac confusanea illa, clausa tantum sub sigillo tuo ad me destines, satisfiet superque voto meo, nec erit cujusquam, nisi fortè amanuensis, exiguus tamen, labor. Si verò, præter hoc, parallela, cognata, notas, animadversiones, judicia, aliaque, quæ legenti obiter, velut in colloquio, incidunt, addere libeat, jam duplicata erit obligatio mea; contra, his ita constitutis, nec Te mihi vitio versurum spero, si in rependendo officio eadem libertate utar, sæpeque excerpta aliqua ab amicis communicata, tecta tantum ac sigillo meo munita, interdum nuda, interdum ut in mentem venit, obiter aspersa mittam. A novellis vulgaribus exemplum petamus, ubi sæpe nihil aliud mutuò sibi amici perscribunt, quam ut extractus literarum, quos vocant, ultrò citroque mittant. Hæc si ita non displicent, fac, ut sententiam tuam intelligam. Ordire, ut lubet, ego dabo operam, ne quicquam malè collocetur. Quæso, veteris amicitiae recordare, & in Societatem hæc advoca & alios in vicinia. Vale, & ama, si mereor,

Moguntia prid. Kal Jun.

M c^o LXX.

Tuum

J. C. L. B. à Boyneburg.

(o) Vide colloquia jam citata ann. 1690. unà cum literis meis, Mens. Maj. pag. 462. innexis, quasque leges nuper scorsim edidit Illustris DW. PRÆSES Francofurti.

tissimi Serenissimorumque *Electoris & Ducum* Saxoniae
 Consiliarius intimus fuit constitutus. Neque exiguus
 tam Magnatum ac Mæcenatum, qui benevolis id pro-
 positi Favoniis afflant, quam eorum, qui ad Germani-
 cas antiquitates eruderandas se pronos promptosq; tum
 in Aulis, tum in Academiis, urbibusq; aliquot celebri-
 ribus, obtulerunt, est numerus. Et ne fabulas Vobis
 ex cerebro Poëtico recensere videar, Auditores, en! Pro-
 fessores Vobis ex Academiis non paucos, manum huic
 operi admovere paratissimos, & in Academia quidem ^{Collegæ}
Basileensi WETTSTEINIUM, FÆSCHIIUM, BATTIE ^{Academi-}
 RIUM, HOFMANNUM, WERENFELSIUM, & ^{ci,}
 ZWINGERUM: in Tigurina HEIDEGGERUM, RHA-
 NIUM, SVIZERUM, HOTTINGERUM, & WAG-
 NERUM: in Tubingensi PREGITZERUM: in Hey-
 debergensi THULEMARIUM: in Francofurtana ad
 Oderam BECMANNUM: in Altdorfina MOLLERUM:
 in Jenensi SCHMIDIUM: in Wittebergensi KIRCH-
 MAYERUM: in Herbournensi LENTIUM, RECHEN-
 BERGIUM: denique & *me* (at quantulam inter hæc lu-
 mina umbrulam!) in hac Philyræa. Taceo OTTO-
 NEM & ROTHIIUM apud Ulmenses, FRISIUM in & alii,
 Holsatia, LUCAE & DOLÆUM apud Cassellanos,
 RUDOLFI & KNECHTIUM apud Bernenses, HU-
 BERTUM & HOEGERUM apud San-Gallenses,
 KREBSIUM apud Heylbrunnenses, GOTTERUM
 apud Altenburgenses, REISKIUM apud Gvelferbyta-
 nos, TENTZELIUM apud Gotanos, aliosque plures,
 antiqua Germaniæ sepulta ab oblivione vindicare sata-
 gentes. In Aulis Principum huic ipsi instituto favent ^{Patroni in}
 Viri & meritis & famâ Illustres, & in *Augusta* quidem ^{Aulis,}

Aula Vindobonnensi Illustrissimi Comites de KÖNIGS-
ECK, (p) ac WINDISCHGRÆTZ, (q) & Liber Baro
de LANDSEE, (r) nec non Cæsareæ Bibliothecæ Præ-
fectus Amplissimus D. NESSELIUS; (s) in aula *Hasso-*
Cæs-

(p) S. R. I. Pro-Cancellarius, quo de sic D. Leibnitz Viennâ $\tau\frac{2}{2}$. Dec. 1688. ad D. Ludolf. Præterea Illustriss. atque Excellentiss. Imperii Pro-Cancellar. DN. Comes de Königseck, ad cuius manus etiam ista pertinent, non obscure fovet propositum hoc, sc. Colleg. Hist. Imperial. fundandi. Et $\frac{10}{20}$. Jan. 1689. Idem ad Eundem: Porro cum Illustriss. Pro-Cancellario jam antea locutus eram ipse, satisque intellexi, favere illum pro summo iudicio suo cum historicis investigationibus in universum, tunc verò singulariter consilio huic condendi Colleg. Hist. Imperiale.

(q) Consil. Cæs. intimus, & ad Conventus Imperii Ratisbonæ Legatus Principalis &c. quo de D. Mart. Christoph. Metzger, Phys. Ratisbon. Diversorumque S. R. I. Statuum Consiliar. & Archiat. ad D. Mollerum 25. Jan. 1688. ita: Perplacuit quoque Illustriss. & Excellentiss. DN. Comiti de Windischgraetz, aliisque è Legatorum Ordine Viris Excellentissimis, scopus instituendi Colleg. Hist. Bono publ. atque posteritati olim egregiè litaturi.

(r) Colleg. Hist. in itinere meo curioso omnibus Bonis nuper in Svevia, Helvetia, Alsatia, Gallia & Burgundio seriò commendavi, multosque ejus fautores passim offendi. Illustriss. DN. L. B. à Landsee, S. Cæs. Maj. Consiliar. intimus, & Legatus ad Helvetios Eminentissimus, Constantiæ omnem mihi exhibuit gratiam. Placuit Ei Collegium nostrum, Seque id in *Aula Imperatoria* de meliori porro commendaturum gratiosè promisit. Crede mihi, multorum Eruditorum in Gallia sana & modesta iudicia de hoc Collegio collegi. Deus det incrementa! D. Pregitzer Tubing. 31. Octob. 1688. ad Paullini.

(s) Porro quæ de laudatissimis Colleg. Imperial. Hist. nuper erecti conatibus significas, mihi sunt notissima. Ego non possum non quin debitis elogiis præclarissimum hoc institutum prosequar, eique faustis omnibus omnia felicia, ad res Germaniæ illustrandas, apprecer. Addictissimam etiam huic Collegio Cæs. Historico inserviendi voluntatem spondeo ac promitto, si vel in aula *Cæsaris*, vel in Bibliotheca Imperiali inclytæ huic *Societati* grata servitia in posterum exhibere poterò. Ita D. Daniel de Nessel, JC. Consil. Historiograph. & Bibliothecar. Cæs. Vindobonâ 9 Decemb. 1690. ad D. Ludolf.

Cassellana Comes de CUNOWITZ, (t) in *Handverano*
 LEIBNITZIUS & LIMBACHIUS, in *Stutgardiana*
 CULPISIUS, in *Schwarzburgicis* FRITSCHIUS &
 BÜTTNERUS, in aliis alii. Quid? quod non *Electo-*
res tantum duo, *Moguntinus* (u) & *Trevirensis*, (w) una *Electores,*
 cum Serenissimo Duce *Württembergico*, (x) sed & ipse *Dux Wür-*
LEOPOLDUS, Augustissimus Imperator, *Impe-*
riale, quod diximus, Collegium utroque ut ajunt, pol-
 lice approbavit. Ita enim Amplissimus LEIBNITZIUS
 in literis ad D. LUDOLFUM : (y) Propositum Colle-
 gium Imperiale Historicum fundandi **CÆSARI** non
 per me tantum, sed & per alios Viros insignes, accessum
 frequentem ad *Sacram Ejus personam* habentes, com-
 mendatum est, *placuitque*. Et præsentem Reverendissimo
 ac

- (t) Joh. Dietericus, Sereniss. Principis Hasso-Cassellani Consil. Supremus, totiusque Regiminis *Præses* &c. Etuditorum Mæcenas gratiosissimus, uti à duobus Amicis fide dignissimis pleniùs accepi.
- (u) Non abnuet votis vestris Princeps Elector Moguntin., quippe cui ejusmodi & laudabile, & cedro dignum institutum non potest non esse acceptissimum. D. Petri ab Hartensels / Archiat. Mogunt. ad me Erfurtò 4 Jan. 1691.
- (w) Ihre Churfürstl. Gn. von Mainz liessen im übrigen das Colleg. Hist. Imperiale Ihr auch gnädigst wohlgefallen / und versprachen demselben alle gnädige Zuneigung. Dergleichen thäte auch insonderheit Ihre Churfürstl. Gn. zu Trier / derer mir erzeugte sonderbare Gnade / bey gehabter gnädigsten Audientz, (zu Augspurg/) ich nicht gnug rühmen kan. Sie liessen sich recht in Discurs mit mir ein / und beliebten das Colleg. Hist. Imperiale gar wohl. D. Pregitzer ad me 10. Jun. 1690.
- (x) Neque ego, quantum in me est, cesso Collegium istud Magnatibus commendare. Feci illud sub initium hujus anni Augustæ Vindelico- rum, ubi potui: feci idem paucas ante septimanas apud Sereniss. Ducem nostrum *Administratorem*, quem inter gratiosissima alloquia deprehendi *faventissimum erga illud Collegium*, de quo egregia & magnifica multa *Serenitas Illius* mecum loquebatur. Id. D. Pregitzer. ad D. Ludolf. 31. Decemb. 1690.
- (y) Vindobonâ 12. Decemb. 1688.

S-
ro
æ-
to-
f-
88.
an-
nt,
un-
iff.
fa-
us
eg.
in-
Di-
um
N.
el-
e-
a,
ue
el.
s,
o-
u-
lia
n-
a-
e-
tis
er.
n-
ca
o-
e-



ac Illustrissimo Episcopo *Neostadiensi*, teste Eodem LEIB-
NITZIO, (z) apertè dixit *Augustus*: *pergratam* sibi esse
hanc ornandæ historiæ patriæ voluntatem. Neque du-
bium mihi ullum est, *Auditores*, Eundem *Sacratissimum*
Doctissimumque Imperatorem Imperiale isthoc *Collegium*,
non minùs quàm *Societatem Curiosorum Naturæ*, prote-
ctione suâ dignaturum. Sed Mars Gallicus, qui totam
hactenus Europam, & Germaniam quidem maximè,
velut Ate quædam Homericæ conturbavit, etiam salu-
tare hoc *Germanorum Procerum* atque *eruditorum* institu-
tum (aa) sufflaminavit. Ceterùm cùm & ego non in-

(z) In liter. dat. $\frac{1}{2}$ Januar. 1689. ad Eundem.

dignus

(aa) D. Pregitzer in liter. 29. Febr. 1688 utilissimum hoc Collegium vocat
Instrumentum Imperii & ornamentum Seculi, quod honori *Germaniæ & me-*
moriam posteritatis in nobili Saxoniam ortum esset. Excell. D. Conrad Sa-
muel Schurzfleisch, Hist. Prof. in Electorali Acad. Wittenberg. an. 1689.
Eid. Quintil. sic ad me: De Cæsare in literatos indulgente nihil du-
bito, & gratulor Germaniæ, cum contigisse Imperatorem, qui tam
Pius, quàm *Doctus* est, & omnes Europæ Reges Principesque *pietate*
& *doctrinâ* vincit, & utriusque omnibus exemplum præbet, quod
posteris admirentur. Sed rationes consilii bello gallico conturbatæ
sunt, quas *Cæsaris* fortuna si expediat, & fide auxilioque Sociorum
hostes à finibus rejiciat, in spem venio, magnum hujus diligentæ
fructum deinceps futurum. Idem censuit Maxime Reverend. D. Ger-
hard Meyer, S. Theol. D. & ad S. Stephan. in Imperiali Brema Ecclesiastes
Mens. Dec. 1690. Ferè excidisset mihi Illustris DN. Petri *Valkenirii*,
Belgii foederati apud Helveticos Legati splendidissimi, & Historici
Doctissimi favor, quò Collegium nostrum amplexatus est. Sic autem
D. Lent Herbornâ Nassovior. 18. Jan. 1691. ad me. Quibuscum com-
municavi cùm maximè illud probabant, tum vehementer aliis com-
mendabant Collegium vestrum. Inter innumeros perplacebat mirum
in modum Illustri *Valkenirio*. Omnes Tibi auctori, Illustrique *Ludolfo*,
plurima mecum tribuunt. Nec displicuit quoque Eruditæ Helvetiæ
tua ad Societatem hanc literariam ineundam invitatio. Dicit vix pot-
est, quantis laudibus Illustrè hoc propositum publicè deprædicarint
omnes. Optant, ut feliciter omnia ad patriæ communis eveniant
gloriam! Pollicentur germano pectore omnem opem. Instructi sunt
omnis generis documentis MStis, quorum catalogum primâ occasio-
ne communicabo. Osculantur Te omnes osculo sancto, &, ut diu
feliciter vivas, optant.

dignus fuerim visus, qui in Collegium illud Imperiale Historicum adlegerer, constitui penes animum cum Deo meum, non chronica tantum MSta quædam, qualia adhuc *avendo* in Paullina Academia Bibliotheca extant, sed & tractatum quendam de *Fratribus Kalendaris*, ex variis hinc inde autoribus & MStis à me collectum, tanquam specimen antiquitatis Germanicæ, in lucem emittere. (bb) Emissem etiam hunc jamdudum, nisi bellica intervenissent tempora, expectandumque mihi esse existimâsem, donec desæviiisset furor Gallicus, & Invictissimus **LEOPOLDUS**, rebus omnibus feliciter compositis, *tutamen Collegii Imperialis* nostri in se suscepisset. Interea cum dicendum mihi omnino aliquid sit in solennissima hac Panegyri, non gravabor tractatûs, quem de *Fratribus Kalendarum*, haud adeò notis, publicare non semel sum minatus, recensio-
 fionem brevem quandam dare, quales ex aliis recentif-
 simis libris per annos bene multos *Actis Eruditorum Lipsiensibus* consuevi inserere. Sed hîc linguarum vestrarum favore ad semihorulam mihi opus est, Auditores, quem ut *Rector Magnificus*, Comites S.R. I. Illustrissimi, Spectabilis item Decanus, Honoratissimi Domini Collegæ, Clarissimique Magistri, cum Nobilissima Studiosorum corona mihi, infantissimo licet oratori, denegare ne velint, sumo ab omnibus opere contendo ac peto.

Tract. de
Fratribus
Kalendar.

recensio
ejus,

Dicturo mihi quidpiam de *Fratribus Kalendarum*,

C præ-

(bb) Lex Collegii nostri quinta sic: Si verò alius quis certos annos pro supplendis annalibus elaborare nolit, aut aliis negotiis impeditus nequeat, habeat tamen quædam particularia è MStis, vel rarioribus libris impressis collecta, quæ Germaniæ historiam illustrare possint, eaque vel ipse edere, vel Collegio edenda communicare velit, is digna gratiarum actione, & Collegæ honorarii nomine, si ita lubet, cohortabitur.

etymolog.
fratris,

præmittenda omninò sunt quædam ad nomenclaturam ipsam pertinentia. Cùm enim non tantùm vocabulum *Fratris*, sed & *Kalendæ* ipsæ ambigæ sint significationis, indicandum utiq; ante omnia, cujusmodi *Fratres* sint intelligendi, & quare cognomentum indepti à *Kalendis* fuerint. Strictim autem evolvam omnia, minimè communem scripturientium imitaturus morem, qui tractatum aliquem de materia quacunque compilaturi, multas paginas enarratione etymologiarum, synonymorum, & ambiguarum significationum, non sine ingenti Eruditorum lectorum tædio, suffarciunt. *Frater* aliàs Nigidio apud Gellium, est quasi *ferè alter*, sed aliis idem videtur cum græca voce φράτης, quæ contubernalem, vel contribulem significat: quemadmodum & penes Græcos φρατεία nihil aliud est, quàm Societas, vel secundum Suidam, τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς, h. e. *tertia pars tribus*. Cùm enim penes Athenienses, uti ex Dicæarcho Hephæstionis observat Stephanus, distincta essent hæc tria, Πάτρα, φρατεία, & φυλή, πάτρα omnes descendentes κατὰ βάθος, φρατεία descendentes κατὰ πλάτος, seu *confratres*, φυλή integram tribus gentem comprehendebat, uti Illustris *Salmasius* in observationibus suis ad Jus Atticum & Romanum me docuit; quanquam uti optima non raro vocabula in sinisteriorem detorqueri solent usum, ita φρατεία pro conspiratione subinde accepta reperitur. Nam & *Suicerus*, thesauri Ecclesiastici congestor, in voce φρατεία annotat in canone Concilii Chalcedonenſis τὸ συωμοσίας ἢ φρατείας ἐγκλημα, h. e. conspirationis & sodalitatis crimen. Sed hic posteriorum temporum fuit significatus, quem abusus Societatum, vel fraternitatum id genus causatus est. Olim certè φρατεία nihil aliud denotabat, quàm Societatem, à voce φράτηρ, quæ Æolic

licè effertur φρεῖτωρ. φράτηρ autem per syncopen dicitur quasi φρεάτηρ, quæ vox non puteum tantum, sed & grande poculum, si Julio Cæsari Scaligero *in de causis Latine lingue* credas, significat. Et verò vel sola computatione iniri fraternitas potest atque connecti. Spectat huc locus ille *Johannis Bodini*, (cc) in quo de corporibus, Collegiis, & Universitatibus, quæque ex his commoda vel incommoda sequantur, agitur. *Principio*, inquit, *Sodalitia contracta fuerunt ab iis, qui quòd ex eadem puteo, seu φρεῖατῶν aquam haurirent, φράτορες, h.e. fratres sunt appellati; inde quoque φρατεῖα dicta; aut qui ex eodem fonte, quem Dores πρυάν appellat, unde pagi dicti sunt; ut Latini quoque comessari dixerunt eos, qui in iisdem vicis, quos Græci κώμας vocant, convictu communi fruebantur, ut Festus scribit in verbo Comessari. Quod si lingua nostra Teutonica, vetus videlicet illa & impolita, quæ eadem est cum Scythica, Celtica, atque Gothica, (si dialectorum diversitatem excipias,) longè antiquior est & latinà & græcâ linguis, quod post *Salmasium* ac *Boxbornium* confidenter asserunt *Duum-Viri* Celeberrimi *Praschius*, Consul Ratisbonensis, sed heu! terris superiore annò ereptus, & *Morhofius*, Polyhistor Kiloniensis, (qui & fusiùs id deducturum se in originibus Germanicis fuit pollicitus,) ecquid vetat, *Auditores*, quò minus ex Teutonica lingua latinum *fratris* nomen arcessamus? Arcessit certè *Praschius* in organo latinæ linguæ, uti mille voces latinas alias. Et nonne hæ duæ voces *frater* & *Bruder* / quoad sonum & tonum, inter se, ut ita dicam, fraternizant? Sed relictis hisce grammaticis veluti serperastris ad potiora veniamus, &, qualis Societas *Kalendarum* Fraternitas, dispiciamus. *Fratrum* enim vo-*

(cc) Lib. III. de Rep. c. 8.

Collegia
varia,

Fratres
Kalenda-
rum,

cabulum valde est πολύσημον. Neque enim *fratres* tantum dicuntur, qui ex iisdem oriundi sunt parentibus, quos & uterinos & Germanos vocant, sed & cognati, consanguinei, patruales, affines, sympatriotæ item, eisdemque religioni addicti, vel quocunque Societatis vinculo connexi, quæ posterior significatio & hæc loci obtinet. Collegia sunt varia, alia quippe (verbis utar *Salmasii* ex libro jam memorato) sunt ejusdem nationis vel populi, ut *δημόται* apud Atticos, alia ejusdem cognationis, ut *γενήται* apud eosdem, & *ὀμογάλακτοι*, alia ejusdem censûs, ut *συμμοεῖται*, alia ejusdem ministerii ad sacra obeunda, ut *ιεροποιοὶ* & *ὄρχεῶνες*, ut apud Romanos Collegium Pontificum, Augurum, fratrum Arvalium, & similibus, alia ejusdem Artis, ut collegia fabrorum, alia ejusdem negotiationis, ut mercatorum. Fratres nostri, qui à *Kalendis* sueverunt dici, ad *ιεροποιοὺς* ex Collegiis hisce sunt referendi. Nam & eorum cura non alia erat, quàm circa sacra; quòd demonstrari de facili mox posset, nisi cur *Fratres* nostri cognomen à *Kalendis* acceperint, exponendum prius esset. Vocantur enim *Fratres Kalendarum*, fratres item de *Kalendis*, germanicè *die Calender-Herren* / & *Calandes Brüder*. Quod autem *Kalendarum* nomen significet, in vulgus etiam notum est. Scilicet cum singuli menses à Romanis, ex institutione Romuli, distribuendi fuerint in tres partes, *Kalendas*, *Nonas* & *Idus*, primam cujusque mensis denuncupârunt à græco verbo, ut communiter statuitur, *καλῶς*, quia debitores *Kalendis* quibusque ad debita solvenda convocabantur. Nam & *calare* latinis idem est, quod *convocare*. Cur autem *Kalendarum* fratres à *Kalendis* sortiti sint nomen, id ulteriori indagine habet opus. *Kalendarum* aliàs celebratio in veteri Ecclesia non optime

με

mē audiebat, unde in Synodo *Trullana* (dd) fuit abrogata, quemadmodum & ex *Meursii* lexico græco-barbaro constat, καλανδολογία non secus quàm σεληνοδομία & βροντολογία in Christianismo fuisse interdicta. Sed prima Fratrum *Kalendarum* institutio, si finem & intentionem corum institutio non mala, spectes, parum aut nihil habebat criminis. Nam uti apud Romanos *Kalendis* quibusque mensis dispiciebatur, quid eō mense faciendum esset, teste Varrone (ee) & Macrobio; (ff) ita apud Christianos, Romano in primis Pontifici subditos, Sodalitas *Kalendarum* modum ordinemque sacrorum instituit, & speciatim quidem, quæ singulis mensibus festa celebranda essent, quæ anniversaria recolenda, quæ eleemosynæ distribuendæ, quæ jejunia servanda, quid item pecuniæ elocandum, & qui fructus ex sortibus exigendi. Quamvis autem religiosi fuerint fratres *Kalendarum*, ordinem tamen ecclesiasticum quendam non constituerunt, certis nempe regulis adstrictum, & à Pontifice Maximo confirmatum, uti *Benedictini*, *Carmelita*, *Carthusiani*, *Dominicani*, *Franciscani*, & alii. Neque enim ex Clericis solis conflata est *Kalendarum* fraternitas, sed ex Clericis pariter ac laicis, est fraternitas mixta, imò ex hominibus utriusque sexûs, planè ut Societas, seu fraternitas *Rosarii B. Virginis*. (gg) Neque enim & similis fraternitati Rosarii B. V. purpura purpuræ, & lac lacti magis similis est, quàm *Kalendarum* fraternitas fraternitati Mariæ Virginis. Hæc

C 3

primi-

(dd) Canone LXII.

(ee) Libro V. de lingua Latina.

(ff) Lib. I. Saturnal.

(gg) Vitus *Wolffbeck* / rusticus Gadelheimensis, in Diocesi Corbiensi, anno 1227. ob receptionem in hanc fraternitatem, singulis annis eisdem promisit duos anseres, totidemque gallos, tres panes triticeos, & triginta caseos ovillos in festo Joh. Baptiste. Cum verò aliò migrassent Fratres isti, filius ejus Arnoldus eleemosynam hanc legabat fratribus in valle liliorum, (*Salsenbogen* nunc dicta.)

Colleg.
Paullin.
Lipf.

primitus instituta est autore *Dominico*, eo tempore, quo *Albigenses*, seu *Waldenses*, de B. Virginis cultu non optime sentire ac loqui ceperant. Conjuratum ergo ubivis fuit in capita *Albigensium*, (*hh*) & fraternitates in honorem B. Virginis hinc inde institutæ, & à Dominicanis quidem cum maximè. Cujus Ordinis Monachicum *Paullinum* (*ii*) quoque cœnobium, seu, ut hodie vocatur, Collegium, quod Lipsiæ est, incolerent, non difficulter per Dominicanos primarios *Nicolaum Bayerum* & *Hieronymum Friesnerum*, qui Magistri Theologiæ erant, impetrârunt, ut fraternitas Rosarii B. Virginis, quam in hac urbe crexerant, ex Clericis pariter ac Laicis constans, per decem Cardinales, teste bullâ membranaceâ in Paullina Bibliotheca adhuc extante, anno 1484. sedente tum Romæ ad clavum Pontificium INNOCENTIO VIII. confirmaretur. Floruit autem *Mariana* fraternitas non Lipsiæ tantum, sed pluribus in locis. Hujus Collegii in Belgio alii dicebantur fratres *jurati*, alii *cygnèi*, alii *onerarii*, alii *honorarii*, quorum illi ad certas Societatis regulas sese adstrinxerant, hi regulis illis exempti erant, primæ cavæ ut plurimum Magnates, *Cygnèi* inde dicti, (uti *Voëtius* & *Maresius* me docuerunt,) quia donatione *cygnorum* honorare convivia solennia Societatis *Marianæ* assolebant. (*kk*) Non alia certè Fraternitatis *Kalendarum* erat facies. Nam &

Fratres
cygnèi,

(*hh*) De vicissitudinibus & fatibus Waldensium vide dissert. M. Eliæ Weihenmajeri, habit. pro loco Wittenb. an. 1690.

(*ii*) Vide CL. Peiferi rerum Lipf. L. III. §. 6.

(*kk*) Cùm aliquando *Hermannus*, Comes à Dassel, Abbas & Princeps Corbeix Saxonice, in Belgio ad fratres *Cygnèos* divertisset, ipsique in solenni convivio *cygnum* apposuissent, miratus est insolitum sibi ferculum. Dixere autem fratres, avem hanc *puritatis*, *candoris* & *innocentia* Marianorum esse symbolum. Sed contrarium habebis in Levitico XI, 17.

hæc non Clericos tantum, sed & laicos utriusque sexus in consortium suum admittebat, atque adeò neque merè Ecclesiastica erat, neque merè politica, verùm mixtis Societatibus annumeranda, unde & fratres à *Thileno bybrida*, ipsa verò Societas à *Zeppero & Hospiniano*, reformatis Theologis, *monstrum* appellatur. Quandoquidem autem Societas *Kalendarum* ignota planè hodiè est, neque de ea omnibus æquè ac mihi constat, quod Fraternitatis id genus superioribus seculis viguerit, non possum non prius quàm de initiis, successu & fine ejusdem disseram, statum ejus præteritum, seu, ut Metaphysici vocant, existentiam ob oculos Vobis ponere. Existitisse fraternitatem *Kalendarum* in patria mea, quæ *Cygnæa* audit, jam olim didici ex annalibus chronici *Cygnèi*, à *Cygnèo* Clarissimo *M. Tobia Schmidio*, jam quadraginta abhinc annis *Cygnææ* publicatis. Nam in illis diploma Teutonicum affertur, in quo tres fratres *Fridericus, Balthasar & Wilhelmus*, Landgravii Thuringiæ & Marchiones Misniæ, anno post C. N. Millesimo trecentesimo sexagesimo Fratribus *Kalendarum* *Cygnèis*, seu *Zvvicca-* *viensibus*, sex marcas, ut vocant, florenorum annuorum pro salute animarum suarum, parentumque ac posterorum, ex pago *Cygnæa* vicino *Nieder-Hohndorf* legarunt. (//) Sed plura adhuc didici ex MStis documentis mihi ex archivo Curie *Cygnææ* communicatis. Ex illis enim quàm evidentissimè patuit, duplicem in

(//) Ex his *Wilhelmus* fraternitates istas singulariter coluit, & magno pretio coëmit. Frater *Joannes de Capistrano*, Ordin. Seraphici minimus & indignus Reverendissimi Patris Generalis in omnibus partibus Cis-montanis, quoad fratres de observantia nuncupatos, immeritus Vicar. generalis, cum in fraternitatem *nudipedum* assumpsit: & Frater *Julianus de Salem*, de Sicilia, S. Paginæ Professor, Prior Generalis ordin. Fratrum Heremitarum S. Augustini in suam. Vid. L. I. c. II, *Hist. mea Isnacens.*

duplex
Frater ni-
tas Kalen-
darum.

Erat mul-
tis in lo-
cis,

Leisnicii,

Pegaviae,

ea fuisse Fraternitatem *Kalendarum*, alteram *Majorum* in æde D. Mariæ Deiparæ, germanicè *der Grossen Calenden* / alteram *minorum* *Kalendarum*, *der Kleinen Calenden* / vel simpliciter *der Calenden* / in æde D. Catharinæ: fuisse etiam utrique fraternitati certa altaria, in quibus missæ & vigiliæ pro salute fratrum ac sororum sunt celebratæ, & in æde quidem Mariana altare Petri & Paulli, nec non altare S. Kunigundæ; quæ quamvis jamdudum cum ceteris Sanctorum altaribus sint diruta, loca tamen illorum non planè sunt ignota, quin extat adhuc in templo D. Mariæ fenestra, cujus vitro, more veterum, inscriptum est, *der Calender Brüderschaft* / ut taceam tot alia documenta, quæ in archivis fisci ecclesiastici penes *Cygnéos* meos adhuc asservantur. Floruit autem fraternitas *Kalendarum* non *Cygnéa* tantum, sed & aliis Misniæ in oppidis, *Leisnicii* maximè & *Pegavia*. Et de *Leisnicio* quidem ista refert D. *Andreas Rivinus*, Medicus quondam ac Philologus insignis, meusque in Poëtica professione Præantecessor, in disputationis, quam *lancem saturam* inscripsit, quæstione prima. *Habentur*, inquit, *ibi* (*Leisnicii*) *in Archivis monumenta multa vetera non vulgaria, Majorum suorum pietatis & virtutis luculenta testimonia, inprimis verò unum & alterum etiamnum superat de Societate Kalendarum, à Clericis pariter ac secularibus personis actu ibidem regentibus, vicinisq; presbyteris constante, cumque laudabilibus earundem consuetudinibus, & ad sacra potissimum facienda institutis legationibus & donationibus, à Theodorico demum Misnensium Episcopo anno 1467. datis in castro suo Stolpen, insuper literis, ut ad plura temporum curricula continuari ea posset, confirmata & roborata.* *Pegaviam* autem, tribus miliaribus ab hac Lipsia distantem, quod attinet, non videre

dere tantum, sed describere etiam, concedente oppidi illius Senatu, mihi licuit quatuor de Fratibus *Kalendarum*, qui olim ibi & domum & bona ecclesiastica possidebant, diplomata membranacea. Primo inscriptum est à tergo: **Des Raths Bestättigung der Calenden.** Abbati autem Pegaviensi nomen tum erat *Simon*, qui se in ipsa epistola latinè scripta nominavit Abbatem Monasterii S. Jacobi Pegaviensis Ordinis S. Benedicti in Mersburgensi Diocesi, adscripto anno 1519. & die penultimà mensis Januarii. Secundo diplomati forinsecus inscriptum erat: Indulgentia fratrum *Kalendarum* in capella corporis Christi, quam dedit anno 1517. Joannes, Episcopus Millenensis, & Thilonis, Episcopi Mersburgensis in Pontificalibus Vicarius. Tertium diploma germanicum est, habetque id inscriptionis: **Vertrag zwischen dem Abbt und den Calenden.** Quartum latinum est cum epigraphe: **Zwölff Hümpfen Weitzen / und acht Hümpfen zur Caland verordnet /** quod ab Abbate Simone jamdicto anno 1519. fuit exaratum. Sed ne intra Misniæ tantum fines constitisse hanc fraternitatem existimetis, Auditores, quæ πολυμαθισάτης *Reinesii* olim fuit opinio; jam & alia Vobis indicanda sunt loca, in quibus eadem *Kalendarum* fraternitas suos cultores reditusque habuit. Nam eam & *Plavia* apud Va- & alibi, riscos, *Ichtershusii* apud Thuringos, *Stargardie* apud Pomeranos, *Wittenberge*, *Göttinge* & *Hamburgi* apud Saxonos, (nec non *Ottberge* apud Westfalos,) obtinuisse, luculentissimo sunt argumento, bona ecclesiastica, quæ in locis illis **die Calands-Büter** in hunc usq; diem appellantur. Quid? quod in *Gallia* quoque & *Hungaria* etiam in Gallia, Kalendas hujus generis celebratas fuisse legimus. Ita

D enim

enim *Karolus du Fresne* in voce *Kalenda*. *Kalenda* à presbyteris singulis mensibus celebratæ in Gallia, hinc *Kalendas* observare, h. e. singulis *Kalendis* Clericorum collationibus interesse, in Actis Mirensis Monasterii, & mox: *Kalenda* sunt Sodalitates ad pias causas, ait *Sambucus*. Fratres *Kalendarum*, qui vulgò confratres, fortè quòd singulorum mensium *Kalendis* invicem convenirent, occurrunt in *Lib. 1. Decretor. S. Ladislai* Regis Ungariæ, & in capitulis *Laurentii* Archi-Episcopi Strigoniensis. Sed nolo in ipso meridie, quod ajunt, accendere lampadem. Fuisse enim aliquando Fratres *Kalendarum*, tam certum jam & exploratum est, ut supersedere asseveratione ulteriori possimus. Id potius dispiciendum nunc nobis, quo tempore cœperit Fraternitas *Kalendaria*, & quem in finem inita à Clericis pariter ac Laicis fuerit. De prima ejus origine si quis sciscitetur, certum institutionis omnium primæ annum determinare nobis non licet, vero autem admodum est simile, eam cum ipsa *Fraternitate Rosarii* (mm) B. Virginis fuisse ortam, vel paulò post eandem, ex compacto personarum spiritualium & secularium, fuisse conflata, ex eo nimirum tempore, quò cultus Sanctorum ad summum usque fastigium pervenerat, spesque omnis in Chassis, vigiliis, suffragiis, aliisque ἐπιλοθησικίαις reponebatur. Si *Bosium* audias, Pontificium Scriptorem, is in *libro IX. de signis Ecclesiæ: Bonaventura*, inquit, primus hoc instituit, ut è laicis excitarentur Sodalitates, quæ ad opera pia convenirent, suosque Præfectos haberent perpetuo tenore deligendos. Initium instituti Sanctissimi Romæ factum in Sodalitate, seu Archi-

& Hungaria,

quando & cur instituta?

con-

(mm) De hac lege thesaur. gratiar. Rosarii primùm edit. à Thoma Leonardi Ord. FF. Prædicar. S. Th. Mag. postea excus. Colon. Agrippin. apud Friesemium anno 1642.

confraternitate *Confalonis* circiter annum 1270. Hujus exemplo innumerae in orbe Christiano formatae Sodalitates, quarum institutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur. Sed Sodalitates istas jam <sup>Bosius corrigi-
tur,</sup> antè à *Dominico* fuisse institutas *Gisbertus Voëtius*, magni nominis inter Reformatos Theologus, in tractatu de *Confraternitate Mariana* ex *Gravio*, *Coppensteinio*, *Wichmanno*, aliisque ostensum dedit. Ab initiis itaque ad finem tandem <sup>finis istius
fraterni-
tatis,</sup> *Fraternitatis Kalendarum* deveniamus. Hunc lynceis veluti oculis perspexit *Wilhelmus Zepperus*, reformatus & ipse Theologus, in *Politia Ecclesiastica*, cap. de *Monasteriorum reformatione & recta constitutione*. Nimirum cum semel opinio meriti operum & intercessionis apud Deum *Monachorum viventium animis hominum* insedisset, commenti sunt, inquit, *Fraternitates, Societates, vel Sodalitates*, quae ex *Monachis & Laicis mixtum quoddam monstrum sunt*. Multi enim *seculares devoti habitum & regulam per omnia religionum, seu ordinum monachalium assumere saepe non valentes, & tamen Societatem, seu participationem & communionem orationis & meriti ordinis alicujus habere summopere expetentes, Societates, seu confraternitates, instituerunt, in quibus sub certis & tamen rigidis observantiis, ac si in ipso ordine essent, in misericordiae aliarumque virtutum operibus proficientes Christo & membris ejus pia exhibuerunt officia*. Magistri verò, qui his Sodalitatibus praeficiuntur, statutis diebus omnes Socios convocant, ad ceremonias nonnullas celebrandas, ad orandum, pauperes alendos, & similia peragenda &c. De fraternitate autem *Kalendarum* vel maximè hoc loco audiri meretur *Joannes de Indagine*, *Carthusianus* primùm *Erfurtensis*, dein *Isnacensis*, insignis Canonista, & trecento-

rum tractatum scriptor, (nn) qui ex professo tractatum de Societate *Kalendarum* composuit, quem *Paulina*, curæ meæ commissa, inter membranacea asservat MSta. Ita autem ille: *Kalendæ* sunt Societates religio-
sæ à calo, i.e. convocò, quòd conveniant se mutuò homines ad communicandum bona sua mutuò, & ad subveniendum animabus defunctorum. Et mox: Habent amicalem quandam (nempe Fratres *Kalendarum*) Societatem, in qua communiter vivunt, & certis temporibus conveniunt communicando bona spiritualia, & se mutuò in caritate corrigendo sine coërcitione protestativa, & sine novo habitu, & hinc licita sunt sine auctoritate *Papa*; quanquam Idem de *Indagine* mox ajat: expedire tamen, ut Societas Fratrum de *Kalendis* auctoritate Episcopi alicujus confirmetur, quemadmodum *Cygnéam* à Numburgensi, *Leisnicensem* à Misenenfi, & *Pegaviensem* ab Episcopo Mersburgensi confirmatam fuisse deprehendimus. Ceterùm uti Fratres *Mariani*, seu *Rosariani*, non conventus tantùm statos observabant, sed & jucundè in Domino quòvis mense convivabantur: ita & fratres *Kalendarum* secundum peculium de convivio fraternitatis statum *Kalendis* singulis non consilia tantùm agitabant de festis quovis mense celebrandis, de anniversariis peragendis, de jejuniiis servandis, de elemosynis distribuendis, fructibusque ex varia fonte colligendis, sed sobrium quoq; convivium in ipsa *Kalendarum* domo celebrabant, sumptus eam in rem necessarios procurantibus *Vitricis Ecclesie*, h. e. sacri patrimonii, uti Celeberrimus *Schurtz fleischius* (oo) explicat, curatoribus, qui & Clericis *Kalendarum*

confir-
tur abEpi-
scopis

(nn) Erat Prior Carthusianorum hîc anno 1460. quo de L. 1. Hist. meæ Isnacens. c. 12. latius.

(oo) In dissertatione de *Vitricis Ecclesie* edit. Wittenberg. an 1677.

fratribus de vino, aqua & pane, ad officia divina celebranda, debebant prospicere. Equidem vel ob solam hanc solennem frequentemque admodum Clericorum cum laicis conversationem parum religiosa videri potest hæc fraternitas, dubio tamen huic occurrit *Johan. de Indagine* (pp) dicens: *est tamen hæc fraternitas spiritualis boni, & ratione spiritualium suffragiorum: quamvis conveniant certis diebus ad convivium, vel collationes & potationes, quia spiritualia esse omnino non possunt sine temporalibus.* Sed finem me tandem hic ipse fraternitatis *Kalendarum* finis, quem exposui, jubet facere. Cur nam autem & ipsa *Kalendarum* fraternitas finem in his aliisque terris habuerit, id paucis adhuc, ne diutius Vos, Auditores, stylo incommissimò ac deproperatissimò delassem, exponendum. Sanè piam fuisse Fratrum illorum intentionem, fervidumque oppidò religionis per posteros conservandæ studium, dubio omni vacat; nec improbanda planè eorundem mihi videtur simplicitas, utur maximè erraverint in circumstantiis. Verùm quod de fraternitate *Mariana* faciendum censuerunt Theologi reformati Academiae Leydenis *Polyander, Triglandus, & Spanhemius, Cloppenburgius* item, *Rivetus & Voëtius*, cum quibusdam Synodis Belgicis, id hinc quoque circa hanc fraternitatem statuendum esse existimo. Quæsitum ex illis fuerat à classe Chorinchemensi Sylvæ Ducensium annò hujus seculi 45. *an membris Ecclesie reformatæ, salvâ conscientia, liberum sit, se unà cum Pontificiis fraternitati ad cultum Mariæ Virginis, ad Missarum celebrationem, & preces pro mortuis, statis temporibus obeundas instituta, sub solenni juramento adstringere?* Sed plerique omnes

parum religiosa videretur,

D 3

ne-

(pp) Loco citato.

in conclone IV de hisoria Lutheri

negantem in judiciis ac responsis suis partem sunt amplexi, reditus tamen illorum, tanquam religiosos & ecclesiasticos, ad usus pios convertendos esse censuerunt. Id quod etiam in nostra Ecclesia contigisse in comper-

reditus sa-
cro usui
destinati,

to est. Nam & reditus *Kalendarum* Pontificiarum in ple-
risque urbibus sacris usibus à Magistratu politico desti-
nati, uti & Monasteria vel in scholas, vel in nosoco-
mia, Xenodochia, & orphanotrophia sunt commuta-
ta. Neque enim bona ecclesiastica in communem cum
Reip. bonis massam sunt inferenda, sed segregata ab il-
lis in beneficia, seu stipendia sacra transmutanda, quod
faciendum esse ad voluntatem donantium, præter *Horn-
beccium*, Theologum reformatum, in examine bullæ
Papalis ab Innocentio X. contra Germaniæ pacem edi-
tæ, non pauci, iique gravissimi Lutherani Ecclesiæ &
Theologi & Jcti (quorum nomina brevitatis studiô
recensere supersedeo,) tractatibus integris demonstrâ-
runt. Accedebat nimis & planè hyperbolicus colla-
tionum, ut vocabant, & computationum *Kalendariarum*
abusus, qui & necessitatem tandem reformatibus im-
ponebat, etiam hoc Augiæ stabulum cum fratribus *Ka-
lendarum* ipsis repurgandi. De hoc abusu amplissimus
differendi patet campus, sed mihi jam tres tantummo-
dò testes sufficiant, *Lutherus* nempe, *Matthesius* ac *Cra-
merus*. Lutherus enim fraternitatem *Kalendarum* in Po-
still. Ecclesiast. ubi de Christianorum vera inter se fra-
ternitate loquitur: *Die Brüderschafft / inquit, ist all-
hier gestiftet / nicht solche Brüderschafft / wie unser
loser Galand ic.* quæ verba Johannes Trederus ita
vertit: non talis fraternitas, qualis fuit impiarum *Ka-
lendarum*. Huic Præceptori suo succinit *Matthesius*. (99)

abusus
fraterni-
tatis,

(99) In concione VI. de historia Lutheri.

Nam

Nam cum Ecclesiarum ac Scholarum visitationem intermissam in Papatu fuisset conquestus, hæc adjicit: Obwol die Erzb. Brüder ihre Synodos und Galand / welche deßhalben vor Alters den Kirchen un̄ Galender oder Fest-Rechnung zum besten verordnet / in ihrem Mißbrauch und zur Züßleren und Unzucht zu treiben in etlichen Landen behalten haben. Wie sagte ein alter Pfarr in Bayern zu mir: Die alten Erzb. Priester forderten vorzeiten in ihren Decherentenen und Kreisen die Priester zur comptation, und Verordnung des Galenders jährlich zusammen / jekund kommen wir mit unsern Köchinnen zum Tanz und comptation. Dieses gedencke ich von der alten Galand und der Päßstischen Kirchen-Visitation willen. Superest *Daniel Cramerus*, Theologus Pomeranus, cujus verba vernacula in Chronico Pomerano de Episcopo quodam Benedicto ita habent, daß er zu Stargard An. 1492. einen Synodum gehalten / und anfänglich verordnet / daß nicht hernachmal / wie zuvor geschehen / einiger Cleric oder Priester in öffentlichen Zechen und Kretschmar gehen / oder auch nicht bey verdächtigen Weibern oder Huren / dadurch viel Sünde / Schande und Ergerniß begangen wird / auch nicht in verdächtigen Schencken oder Kellern / von denen andern abgewandt / zechen / sondern nur in Galanderhäusern / wenn ihm beliebt / sich finden lasse. Sed audite, quid sequatur. Die Galender aber waren Häuser / darinnen die Geistlichen Bier ausschenden liessen / und da die geistlichen Fratres ihre Zechen zu halten pflegten. Daher man noch immer von den Trunckenbolden zu sagen

sagen pflēget : Er calendert die ganze Woche hindurch / und haben den Namen von den *Calendis*. Sed quorsum abripuerunt me fratres illi *Kalendarum* cum comestationibus & comotationibus & fornicationibus suis *Kalendaris*? valcant, & aeternū valcant; salveant verò mihi, & terque quaterque salveant, imò centies, & quidn̄ millies salveant præsentes *Camenarum* fratres, non perpetuā quippe relegatione, sed honorificā coronatione digni. (rr) Fuerunt enim hæcenus hi Candi-

dati

(rr) Operæ pretium erit synopsis vitæ *Felleriana* annectere. Natus est Cygnæ d. 30. Nov. 1638. Patre Christiano, cive & pannifice, Matre verò Sabina, M. Joachimi Oehlmanni, Diaconi ibidem filia. In Schola patria nactus est Præceptores, *Creilium*, *Thumlingium*, *Deccerum*, *Zechendorferum*, & *Daumium*. Cū vix XIII. annorum adolescentulus passionis Dominicæ historiam in versus latinis transtulisset, celeberrimi inprimis *Daumii* amorem hæc re adeò in se concitavit, ut & filii instar haberet, & quā viâ progredi in addiscendis literis humanioribus deberet, dux integerrimus monstrârit. Ex urbe patria venit Lipsiam, ibique summis Philologis, *Casp. Barthio*, *Thoma Reinesio*, *Rivino*, *Rappolto*, *Franckensteinio*, & *Thomasio* innotuit, omniumque auditor fuit. Annò 1660 Magistri Philos. insignia ambiit & obtinuit. Cumque in disputationibus & orationibus eruditionem singularem ostendisset, & Collegiis, in variis disciplinis habitis, de studiosa Juventute eximiè meritis esset, sicque magis & magis inclaruisset, ab Amplissimo Senatu Lipsiensi Scholæ Nicolaitanæ tertius Collega constitutus est, donec D. *Rappolto* à professione Poëtica ad Theologicam vocato, Ipse in Universitate Poëtas publicè interpretari juberetur. Inter honores etiam fuit, quòd Bibliothecæ *Paullina* præfectus fuerit, quòd annò 1681. inter Collegiatos, quos vocant, Maj. Princip Collegii reciperetur, quòd singulari Potentissimi Electoris Saxonie indultu, ex natione Misnica ad Bavaricam transferretur, ejusdemque tandem Senior factus fuerit. Rectoratum ter gessit, Decanatu Philos. & Pro-Cancellariatus summâ fide & industriâ functus est. Multorum Principum gratiam elegantissimis carminibus promeruit, quos inter *Augustissimus Imperator*, *Potentissimi Electores Saxon. & Brandenburg. Magnus Dux Hetruria*, & alii. Duxit primò uxorem *Annam Dorotheam*, D. *Frider. Rappolti* filiam, annò 1670. 28. Augusti. Ex qua suscepit Christianum, ocius decedentem, *Joach. Fridericum*, Philos. & Bonar.

dati non *Vacuna* aut *Murcia* fratres, non *Eridis* fratres, non *Cereris* & *Bacchi* fratres, aut fratribus *Kalendarum* luxuriosis similes, sed fratres *Camænarum*, fratres *Gratiarum* nobis lectissimi ac dilectissimi. Cumque iidem per virtutis viam grassari ad culmen honoris semel induxissent animum, suaque Incluto Collegio pro more recepto desideria solenni examine non à me tantum, ceterisque Philosophiæ Professoribus, & maximè à Quatuor-Viris his assidentibus, Viris Plurimum Reverendis, Excellentissimis Clarissimisque, scientiis, linguis, & virtutibus non leviter tincti, sed toti delibuti, verbo: frugi & *Gratiarum* fratres, dignissimique adeò sunt deprehensi, quibus summum *Camænarum* Philosophicarum brabéum hoc ipso die atque in hoc ipso Illustrissimo ac Venerabili admodum consessu conferatur. Neque enim alio fine solennissima hæc Panegyris à Facultate nostra instituta est, quàm ut omnes hi *Camænarum* Fratres voti suo tandem compotes, post edita Scientiarum specimina redderentur. Quod igitur felix, faustum Reique publicæ

Bonar. Artium jam Baccalaur. tertius factus excludi non poterat, matremque inter pariendi labores deficientem secum in tumultum traxit. Secundò *Joannam*, Jacobi Thomasi, PP. filiam, annò 1677. 27. Nov. quæ duos filios, totidemque filias ei peperit. Illi præmaturè defuncti, hæ verò adhuc in vivis sunt. Ceterum bonus erat & candidus, erga pauperes beneficus, omnibus carus, nulli molestus. Quarto April. die st. v. horâ matutinâ secundâ semisomnis (ut in more habuit) è lecto surgens, fortè ad fenestram valde depressam accessit, & de ea lapsû in caput, tribus vulneribus cranium concussum lædente, decidit, & sequenti die horâ matutinâ XI. rationis benè compos, piè & placidè obiit. Requiescat in pace! Addo denique *προσφωνησιν* ejus ultimam (inter varias schedas post obitum à Filio repertam) ad Studiosos Acad. Lipsiensis.

*Est extinctus olor, mille inter candidus unus,
Sed qui veridico cantu odiosus erat.
Vos, qui, cen Cygni, Philyra volitastis ad amnes,
Exequias niveæ condecoratis aves!*

publicæ & privatæ literariæ proficuum, suoque inprimis
 Nomini gloriosum esse divina jubeat Benignitas, Reve-
 rendissimi atq; Serenissimi Principis ac Domini, Domini
CHRISTIANI, Ducis Saxoniae &c. Postulati Epi-
 scopatus Martisburgensis Administratoris, & perpetui
 hujus Academiae Cancellarii, Domini mei Clementissimi,
 nomine & auctoritate, hoc tempore mihi benignissime
 concessa, Ego **L. JOACHIMUS FELLERUS**,
 Poëticæ Artis Profess. Publ. Facult. Philos. Assessor,
 & ad hunc actum constitutus Pro-Cancellarius, Vos,
 Optimarum Artium ac Philosophiæ Baccalaureos, Vos,
 inquam, numero XXVII universos ac singulos *Artium
 Liberalium & Philosophiæ Licentiatos* creo ac facio, crea-
 tos & factos renuncio, renunciatos demùm Spectatissi-
 mo h. t. Facultatis Philosophicæ Decano, Collegæ ac
 Fautori meo pl. colendo, porrò exornandos trado, cum
 plenissima illa, quam ab *Academia Cancellario perpetuo
 Reverendissimo ac Serenissimo, Domino meo indulgentissimo*,
 accepi, potestate, ut traditos illos ac renunciatos jam
Licentiatos in locum editiorem evehere, publiceque
 auditos & comprobatos summo in Artibus & Philo-
 sophia honoris titulo condecorare, omniaque insignia
 & privilegia, quæ de jure & consuetudine **DOCTO-**
RIBUS PHILOSOPHIÆ, sive **MAGIS-**
TRIS, competunt, iisdem liberali manu, vultu benigno,
 & pro merito oris applausu conferre velit & metiri.
 De cetero nihil amplius addo, quàm solenne meum di-
 stichon, idque doxologicum:

Sit, Deus alme, tuum benedictum in secula nomen,
 Sit Tibi pro cunctis gloria lausque bonis!

In



In Funestum Lapsum

FELLERIANUM.

L *Ipsiaci* Illustris fuerat qui gemma Lycæi,
Lapsu è fænestris præcipitatus obit.
 Heu! vitrum infaustum, Musis & Apolline
 dignum
 Irato, lumen quô venit atque perit..

f. Basilea

JOH. JACOB. HOFMANN,
 S.Th.D. & Hist.PP.

Q *ui mel* Musarum sine felle, ita gratus in orbe
 FELLERUS fuerat, sic obit ante diem.
 Mors ea amara fatis, sed nomen dulce manebit,
 Quod fastis celebrant *Historia, Eusebie.*

f. Tubinge

JOH. ULRIC. PREGITZER, J.U.D.
 Sereniss. Ducis Wirtenb. Consil. Supremi
 Dicast. Aulici Assess. & in Illustri Ducali
 Colleg. Tubingensi P.P.

E 2

Labi-

Labimur in multis omnes : feliciter ille,
 Qui subito tactâ surgit alacris humo.
 Sed ve, quem simplex amentia tollit in altum,
 Ocius ut lapsu post graviore ruat.

FELLERUS cecidit! non labebatur at ille,
 Crede mihi, haud, qui sic labitur, ille cadit.
 Nisus inoffenso pede qui decurrere vitam est,
 Fato etiam dignus candidore frui.

Ast erat in fatis : qui stas, ne labere, passus
 Atque tibi atque mihi lubricus omnis erit.

Firmandi ergò pedes, cupias si tutior isse,
 Ne, si labaris, tu simul atque cadas.

Non statim abjectus, qui lapsus, erit : levat illum
 Dextra Dei ; caros sustinet ipsa suos.


† Psalm. XXXVII.
 Sic cecinit ceciditque David, **FELLERUS**, & ille †
 Felix, qui mecum sic canit atque cadit.

24. Hancce tibi credas horam cecidisse supremam,
 Sic stabis, mundo nec pereunte cades!

f.
 Ferrariae Thuringorum

C. F. PAULLINI.

F I N I S.



à L E N T,
e Illustri Herborenensi
al. 1691. ad mc.

ostri leges, cum aliquali insti-
imprimerentur! Nec ingrattum
si Sociorum adderentur nomi-
a avidè illud desiderent Eruditi.
vehementer efflagitabant, Te to-
m meam liberes, enixè contem-
mibi, omnibusque illis gratis-

